123

Dup 457
J.M. Feb 1880

OBSERVATIONES PATHOLOGICO-ANATOMICAE.

OBSERVATIONES PATHOLOGICO-ANATOMICAE,

QUAS

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

JONAE GUILIELMI TE WATER,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS, EJUSDEMQUE ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE PROFESSORIS ORDINARII, NEC NON VERBI DIVINI IN ECCLESIA LEIDENSI MINISTRI.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, *&* *Nobiliſſimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA *Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis*,

Publico ac ſolemni examini ſubmittit

ANTONIUS JACOBUS VAN DOEVEREN,

GRONINGANUS.


Ad Diem 2. *Aprilis* MDCCLXXXIX. *Hora* IX—XI. *L. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD SAM. ET JOH. LUCHTMANS,

MDCCLXXXIX.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY



SERENISSIMO AC CELSISSIMO

ARAUSIONENSIUM

ET

NASSAVIORUM

PRINCIPI

GULIELMO QUINTO,

FOEDERATARUM BELGII CIVITATUM

GUBERNATORI HEREDITARIO

NEC

NEC NON

TERRA MARIQUE

IMPERATORI SUMMO

ETC. ETC. ETC.

FELICI REIPUBLICAE CONSERVATORI

ET

LIBERTATIS BELGICAE VINDICI

SACRUM

D. D. D.

ANTONIUS JACOBUS VAN DOEVEREN.

OBSERVATIONES PATHOLOGICO-ANATOMICAE.

INTRODUCTIO.

Tali modo fabrefactum Corpus Humanum eſt, ut partes omnes continuo in motu, quamdiu vivunt, verſantes, ſeſe ſenſim deſtruant, deſtruerentque et penitus et citiſſime, niſi provida Natura ipſi corpori tales dediſſet potentias, quibus peregrina, fame ſitive appetita, in ventriculum delata, in ſuam naturam, in naturam omnium partium, convertere poſſet; ſic ſeſe ſuſtentat corpus, ſic per longum temporis ſpatium, variis aegritudinibus licet ſubinde turbatum, ſubſiſtit. Attamen, etiamſi refici, ſuſtentari, hoc pacto corpus diu queat, quod omnium corporum fatum eſt, tandem partes ad agendum ineptae redduntur, et ſuccum-

bit

bit homo. Docet hoc placida, inevitabilis, mors ſenilis, omnium actionum vitae quies dicenda. Inſtrumenta vitae tum per ipſum vitae uſum inepta et inutilia reddita ſunt: hinc ſanguis non amplius ad ultimos ſyſtematis arterioſi fines propelli poteſt, hinc deficit pulſus et cum pulſu calor, primo in pedibus, dein in manibus, pergit tamen adhuc ſanguis per cordis vaſa majora ire et redire, donec tandem fatiſcens cor ſanguinem acceptum per pulmones amplius expedire nequeat.

Docent hoc obſervata eorum, quibus contigit cadavera hominum, qui annum aetatis centeſimum et trigeſimum, centeſimum et quinquageſimum ſecundum, attigerant, ſecare, in his enim ſumma erat corporis macies, cutis admodum ſtrigoſa, omentum admodum exile, lien, viſcus caeterum ſpongioſum et laxum, contractus admodum, inteſtina, albida, exſanguia, tenacia, cerebrum durius, ſic ut cultello ſecanti obſtrepuerit, vaſa magna, et cordi vicina, paſſim cartilaginea, hinc inde oſſificata, et quod praeterea admodum notabile, cum caeteroquin in cadavere univerſus ſanguis in venis reperia-

riatur, & vacuae fere ſint arteriae, in his omnis fere ſanguis in ſyſtemate arterioſo reperiebatur (*a*).

Sed quot non exiſtunt cauſae, quae impediunt, quominus hanc metam adtingant multi; dantur quidem, & certe plura, quam adeſſe poſſe ex ſtructura corporis quis concluderet, exempla hominum admodum longaevorum (*b*), ſed haec ipſa, ſi comparentur cum omnibus, qui quotannis pereunt, in cenſum venire nequeunt; morborum enim,

qui-

(*a*) Cf. Account of the death and diſſection of JOH. BAYLES of NORTHAMPTON aged 130. Jears mortui 1706, quod reperitur in Phil. Transact. N. 306. BADDAM's abridgm. vol. 5. Ut et quae HARVAEUS notavit ex Anatome Thomae Parre A. 152. agentis et 1635. mortui, ſubnexa libello JOH. BETTI de ortu & natura ſanguinis Ed. Lond. 1669; et diſſectionem decrepitae 100. annorum ab HALLERO deſcriptam in Phil. Tranſ. vol. 44. No. 483. p. 528.

(*b*) Conferri meretur Illuſtr. HALLERUS Elem. Phyſiol. tom. VIII. part. 2. pag. 95. ſeq., qui multa exempla etiam collegit ibid. pag 123 ſeq. In magna Britannia, longaevitatis exempla plura notabilia exſtiterunt, & in Diariis Anglicis ante aliquot annos (The London Chronicle For 1785. Dec. 22 — 24; The new London Magazine vol. 1. pag. 361, 362.) editus catalogus eſt 31. hominum longaevorum, quorum natu minor centeſimum, maximus centeſimum atque ſexageſimum nonum annum attigit.

quibus homines adſliguntur, quibus varia in aetate e medio tolluntur, tantus numerus, tanta varietas, ut omnes cognoſcere nemini datum ſit; illorum cauſae adeo multiplices, ut cognitis forte lateant longe plures. Multiplex enim, ut BOERHAAVIUS dixit, atque varium, qui corpora adſligunt humana, morborum ingenium, a plurimis jam ſeculis obſervatum deſcriptumque habetur. Neque tamen acri profecto, et annoſa, hacce diligentia omnis eorum exhauriri usque potuit diverſitas. Unde quidem efficitur, tales ſemper ut accidant novi, quibus tunc cognoſcendis nullum ſatis ſubtile judicium Medico ſit, ut habeat ille, et adferat, artis praeceptis recte formatum animum. Imo vero, cauſſae ambiguus latentis, affectique incertus loci, haerebit jam, qui aliàs in perſpiciendis, ſanandisque, laudem invenerat (c).

Hoc quidem BOERHAAVII adſertum obſervationibus hiſce ulterius confirmare lubet, ſicque probare, quantae neceſſitatis ſint cadaverum diſſectiones, ut cauſae ſedesque morborum

(c) Cf. Opuſc. p. 98.

rum inveſtigentur non tantum, ſed et explicentur ſymptomata, in praegreſſis morbis obvia, & determinatu admodum difficilia.

Primam, quae eroſionem Oeſophagi vicinaeque Aörtae, hujus porro vaſis rupturam cum effuſione omnis ſanguinis in Ventriculum ſiſtit, in exercitiis Anatomicis cum Honoratiſſimo Praeceptore et Promotore Ed. Sandifort annotavi, qui in eximia ſua praeparatorum Pathologicorum collectione partes ipſas adſervat.

Alteram, pariter de eroſione Oeſophagi et vicinae Aſperae Arteriae, eidem Viro Clar. debeo, qui et viventis aegrae curam aliquamdiu habuit, cadaver deinde ipſe ſecuit: cuique pro hoc multisque aliis in me collatis beneficiis publicas grates peragere liceat.

Tertia tradit hiſtoriam Pancreatis carcinomatoſi eo in loco, ubi ipſi Ventriculus accumbit, cum eroſione hujus viſceris, et ſanguinis demum omnis intra ipſius et inteſtinorum capacitatem effuſione; cujus morbi decurſum in viva foemina pro parte ipſe inveſtigare, dein vero, cadavere luſtrato, veram ejus naturam indagare, potui.

Prolixitatem omnem evitaturus, obſervationes ipſas fideliter communicabo, viſa in cadaveribus exactiſſimis figuris illuſtrabo, & pauca, quae earundem explicationi inſervire poſſe videntur, ſuperaddam.

O B-

OBSERVATIO PRIMA.

De Eroſione Oeſophagi, vicinaeque Aortae, hujus porro vaſis ruptura cum effuſione omnis ſanguinis in Ventriculum.

Diſſecto abdomine cadaveris foeminae, quod ſatis toroſum, et nullo modo emaciatum videbatur, mirabamur Ventriculum admodum turgidum, humore quodam repletum, ac duriora, quae ſeſe attactui offerebant, corpora continentem, ſeſe ad umbilicum ferme extendentem. Quum ſcopus erat Duodeni vicinarumque partium ſitum examinare, a meſenterio liberata tenuia inteſtina ſunt, et quum haec prope eum locum, ubi in Jejunum mutatum Duodenum per Meſenterium tranſit, dividebantur, ex duodeno magna ſanguinis prodiit copia, partim fluidi, partim coagulati, preſſoque Ventriculo, tanto major ejus prodiit quantitas; ſicque conſtitit ab effuſo intra Ventriculi cavum cruore turgorem ipſius fuiſſe productum. Sanguis erat admodum floridus, multum differens ab eo, qui in vomitu cruento rejici ſolet, et quum, ut Diaphragma praepararetur, atque in ſuo ſitu, omni ſenſu illaeſum, demonſtraretur,

liga-

ligato prope ventriculum Oeſophago, ille una cum Hepate Liene, viciniſque partibus exemtus eſſet, cavum ipſius omni modo ſanum inventum eſt, ſana etiam fuere viſcera in hypochondriis collocata, quae in vomitu cruento ferme ſemper adfecta eſſe ſolent. Dubia ergo hactenus erat via, per quam ſanguis in ventriculum erat effuſus, haec autem non diu ignota manſit, quum enim viſcera thoracica ſic ex ſuo cavo undique liberata, ut nullum ex iis vitiatum eſſet, exacte examinabantur, ex Aörta directe in Oeſophagum ſanguinem omnem fuiſſe effuſum patuit. Vas hocce ampliſſimum (*d*), a latere Oeſophagi (*e*) deſcendens, dein vero ipſi accumbens (*f*), (dum Oeſophagus ad carneam Diaphragmatis partem (*g*) deſcendit, ut per eam, in ventriculum terminetur, Aörta vero inter capita duo media dicti muſculi decurrit) eo loco, ubi Oeſophago accumbit, plane erat disruptum (*h*), et ulcus detegebatur, quod surſum, deorſum, ac verſus latera ſeſe extendens, et cum Aörta (*i*) et cum Oeſophago

(*d*) Tab I. d. d. Tab. II. Fig. 1. g g. Fig 2. a. a.

(*e*) Tab. I. k. k. Tab. II. Fig. 1. e. e.

(*f*) Tab. II. Fig. 3. c. a.

(*g*) Tab. II. Fig. 3. b. b. a.

(*h*) Tab. I. l. l. l. n. o. o. Tab. II. Fig. b. b. c. c.

(*i*) Tab I. n. Tab. II. Fig. 2. c. c.

go (*k*) communicabat, imo ſeſe etiam extendebat ad vicinum pulmonem ſiniſtrum, ſub cujus membrana externa, a pulmonis ſubſtantia ſeparata, & tumidula, ichoroſa materies ſeſe etiam effuderat (*l*).

Ulcus hoc admodum late ſeſe extendebat per Oeſophagum (*m*), adfecerat Aörtam ad diſtantiam admodum notabilem, duorum & ultra pollicum (*n*); apertura autem ipſa, pollicem longa, margines monſtrabat craſſos (*o*), intra quos libere fluctuantes cernebantur lamellae (*p*), disruptae tunicae Aörtae internae reliquiae, qua parte cavum hujus vaſis reſpexerant, glaberrimae (*q*); et hae, in locum priſtinum repoſitae, non niſi parvam relinquebant fiſſuram (*r*), rupturae, ibi obviae, manifeſtum indicium praebentem. Sana caeterum erat Aörta (*s*); ſanus etiam et ſupra ulcus, et infra illud, Oeſophagus (*t*).

No-

(*k*) Tab. I. m. m. m. p.
(*l*) Tab. I. r.
(*m*) Tab. I. m. m. m.
(*n*) Tab. I. l. l. l. Tab. II. Fig. 2. b. b.
(*o*) Tab. II. Fig. 2. d. d.
(*p*) Tab. II. Fig. 2. c. c. Tab. I. o. o.
(*q*) Tab. I. o. o.
(*r*) Tab. II. Fig. 2. inter c. c.
(*s*) Tab. I. d. d. Tab. II. Fig. 1. f. f. Fig. 2. a. a.
(*t*) Tab. I. p. k. k. Tab. II. Fig. 1. e. e.

Notandum praeterea in hoc cadavere ſeſe obtulit Ovarium dextrum, magnitudine auctum, et in tumorem pellucidum, globoſum, tres pollices latum, duos cum dimidio altum, tenuem aquam flavi coloris continentem, expanſum; hic tumor, hydropis Ovarii initium ſiſtens, magnam pelvis partem opplebat, et vicina cuncta ſic comprimebat, ut uterus inde inſolitam etiam acquirere debuerit formam. Ovarium ſiniſtrum ſanum erat.

Neque minorem attentionem meretur ejusdem hujus foeminae trunci a ſtatu naturali ſeceſſus, quem hic paulo latius deſcripſiſſe non ingratum fore credidi. Sigmoïdeam perfecte figuram ſpina habet. In ſuperiori lumborum parte ab oſſe ſacro ſiniſtrorſum flectitur, in dorſo dextrorſum tendit, tum vero ſiniſtrorſum progreditur, & ad ſuperiorem trunci partem parum in oppoſitum latus vergens, caput recta ſuſtinet. Infima lumborum vertebra non recte ſuperiori oſſis ſacri parti inſiſtit, ſed proceſſus transverſus dexter magis verſus anteriora vergit, quam ſiniſter; cum hac quarta conjungitur, cum hac tertia; duabus autem his pars lateralis ſiniſtra magis compreſſa, praecipue vero lamella, inter haec corpora media, quae, in dextro latere multo craſſior, diſtantiam hoc in loco inter corpora vertebrarum majorem reddit. Vergunt ſic tres hae vertebrae verſus latus ſiniſtrum et ad marginem

oſſis

oſſis Ilei inclinantur. Secunda autem, primaque lumborum vertebra, cum reliquis intortae, in ſiniſtro latere craſſitiem habent inſignem, in dextro vero admodum applanatae ſunt, dum lamella intermedia ibi ferme penitus ſit deſtructa, imo ſecunda atque prima confluxerunt invicem; emittitur enim ex margine ſuperiore ac laterali ſecundae, et ex proximo ſed inferiore margine primae, lamella quaedam oſſea, quae duae lamellae copulantur invicem. Pergit ſpina in dextrum latus flecti usque ad nonam vertebram dorſi, et dum in lumbis pars lateralis dextra ſpinae antrorſum vergebat, jam ſiniſtra non latus ſuum ſed anteriora occupat. Nona dorſi vertebra cum octava ſimili modo nexa eſt, ac lumborum prima et ſecunda, et ab hac nona verſus ſiniſtrum latus rurſus inclinatur ſpina, illaque una cum octava atque ſeptima in latere ſiniſtro complanata, in dextro craſſior, exiſtit. Pergunt ſinistrorſum procedere, quae dictis inſiſtunt, vertebrae, ſupremae vero dexteriora verſus parum vergunt, ſicque efficiunt, ut ſumma pars ſterni cum ita dicta Synchondroſi oſſium pubis in una eademque linea inveniatur.

Mutatus etiam thorax inſigniter eſt. Coſtae dextrae octo ſuperiores praeſertim quarta, quinta, ſexta, ſeptima, octava, introrſum preſſae ſunt, ſic ut inter curvaturam illam, quam formant nona, octava, ſeptima, dorſi vertebra, verſus latus dextrum et coſtas diſtantia ſit $1\frac{1}{2}$ pollicis Rhen.

Prominent autem dictae coſtae multum in dorſo, ſic quidem, ut curvamina earundem ultra proceſſus transverſos et ſpinoſos protuberent, et dextram ſcapulam multum elevaverint. Longiores ac tenuiores redditae ſunt coſtae mediae: prima, ſecunda, tertia, et quarta ſatis a ſe invicem diſtant, ſubſequentes ſibi admodum ſunt propinquae, ſeptima et ſexta ſeſe contingunt. Quatuor infimae magis extrorſum prominent.

Inſolitam formam habet etiam latus ſiniſtrum thoracis. Coſtae pariter admodum longae et extenuatae ſunt, verſus anteriora tendunt, et diſtantia inter vertebras dorſi medias interioremque ſiniſtri thoracis partem eſt $5\frac{1}{2}$ poll. Rhen.: ſic ut, dum imminuta ſit capacitas dextra, ſiniſtra amplitudinem inſignem acquiſiverit.

Scapulae admodum planae ſunt. Rectae claviculae. Pelvis ampla eſt, et diſtantia inter os ſacrum et nexum oſſium pubis, ſeu conjugata, aequalis eſt diametro transverſali. Tubera oſſium Iſchiorum, verſus exteriora promota, hoc in loco diſtantiam admodum notabilem relinquunt.

Etiamſi nunc de ſymptomatibus, quibus vexata foemina fuit, cujus vitae finem Haematemeſis ex rupta Aörta, et ſanguinis in Ventriculum effuſione impoſuit, nihil expiſcari potuerit, et ſolummodo conſtiterit, ſubitanea morte fuiſſe

ex-

exſtinctam, tamen ex iis, quae cadaveris examen hactenus enarratum obtulit, non difficile fuit determinare, quibus malis laborare debuerit, antequam ſanguinis omnis profuſio inciderit. Dyſphagiae certe cauſa notiſſima in Oeſophago aderat, canalis nempe hujus eroſio, ortum forte ducens ex praegreſſa inflammatione, toties huic malo anſam praebente, et diverſimode terminata, quae ſine dubio in hac foemina ea omnia produxit incommoda, quae toties in miſeris talibus obſervantur.

Omnes enim, quos aliarum partium inflammationes habent, exitus habere poteſt hujus Canalis inflammatio. Reſolvitur, ſi benigna eſt, aut in ſuppurationem tranſit, quod Galenus jam annotavit de juvene, qui, hoc morbo per longum tempus laborans, accedente nonnunquam Ephemera febre, nonnunquam etiam horrore, quum abceſſum concoctu difficilem in gula eſſe putarent, procedente tempore ruptionis ſenſum percepit, et deinde pus evomuit non tantum eodem ſed poſtero quoque et tertio die: deinde omnia ei ſuccedebant exulceratae gulae ſigna. (*)

Idem in ſemet ipſo obſervavit Doct. Medicus Goudanus, J. Bleuland, qui, dum fratri, ſcarlatina febre maligna exſtincto, perpetuo adſtiterat, inflammatione in fau-

(*) Lib. 5. cap. 5. de locis adfectis. Charter. Tom. VII. pag. 491.

faucibus loco magis inferiore, quam qui plerumque in angina inflammatoria occupatur, correptus fuit, comitantibus dolore accerrimo, febre continua acuta cum delirio ſatis valido, et plenaria nixum deglutitionis edendi impotentia: abiit hoc malum in ſuppurationem et abceſſum, quo rupto et eructata magna puris quantitate ſenſim ſenſimque priſtinum Oeſophagus recuperavit vigorem (*u*).

Simile quid in muliere ante aliquod tempus obſervare mihi licuit, quae, dum per dies aliquot de dolore gravativo ac tumore in dextra faucium parte, qui extrorſum etiam tangi poterat, levique dysphagia conqueſta fuerat, caeterum bene valens, de inproviſo noctu disruptionis ſenſum in parte affecta percipiens, magnam puris foetidi copiam ejecit: ſputa, quae inſequentibus diebus emiſit, pure mixta erant; brevi vero ope gargarysmatum detergentium reſtituta fuit. An autem tota ſubinde tunica interna ſeparatur, ejicitur, et ſenſim nova producitur? Hoc quidem concludi poſſe videtur ex caſu, quem mecum nuperrime communicavit, transmiſſis membranis rejectis, quarum altera verum canalem ſiſtit, Patruus honoratiſſimus E. DE LANG Praxin Medicam ſumma cum laude Medioburgi exercens. Caſus hic ſequens eſt. J. V. D. S. vir 47. aetatis annum agens, die 6. Januarii h. a. ipſius

(*u*) Vid. ejus tract. de ſana et morboſa Oeſophagi ſtructura p. 55.

ipſius curae fuit ſubmiſſus valde macilentus et debilitatus, longa ſtatura, colore flavo Querebatur de deglutitione impedita cum continua exſputione materiae viſcidae pultaceae, multaeque ſalivae limpidae, ſanae: de gravitate praeterea circa cartilaginem enſiformem absque ullo dolore. Hiſce ſymptomatibus a Menſe Octobri A. p. afflictus fuit, quae ab initio ad ultimum M. Januarii eandem ferme formam induerunt. Crebris etiam borborygmis cum topica diſtenſione et gravitate ex ſumto potu licet levi et parvo laborabat; moleſtia circa Cartilaginem Enſiformem conſtans manebat, pulſus erat parvus, alvus ſicca et conſtipata, appetitus ſanus, ſomnus bonus, caeterum bene valebat. Nullo cibo ſumto excretio materiae ſupra allegatae etiam multo minor erat.

Quod ad aegri vitam et primam hujus mali originem attinet. Per plures annos ſtipendia meruit, Veneri neque Baccho, ſorbilitionibus vero tepidis maxime deditus, cibos potusque fervidiſſimos adamabat. Numquam aegrotavit, niſi ante aliquot annos, quum ex ventriculi dolore maxime laboravit, qui vero ex preſſione manus in locum dolentem ceſſabat. Primum mali initium apparuit poſt aſſumptam magnam pyrorum crudorum copiam M. Octobri a. p. Pauca ſumſit ante medicamenta, poſtea vero plurima in uſum fuerunt vocata, quae nullum vel parvum ſaltem effectum edi-

de-

derunt, donec tandem M. Februario, cum per aliquot dies adſtringentibus uſus fuerat, binas membranas alternatim poſt octiduum per os reddidit aegrotus, quarum altera perfecte canalem ſiſtit, altera vero de interioribus ventriculi ſeceſſiſſe videtur; facile interim fieri potuit, quod cum caeteris excretionibus et aliae portiones dejectae et deperditae fuerint. His membranis rejectis ab omni conamine vomendi liber manſit aegrotus, bene bibere, et parca quantitate pultacea comedere incepit, absque ulla amplius cibi vel mucoſae materiae excretione: in hocce ſtatu aeger Die 6. Martii adhuc verſabatur debilis quidem, ſed facillime pultacea, difficilius vero duriora, ut tubera eſculenta, ſimiliave comedere valens.

Ampliſſimus hic mihi pateret campus, ſi datam hanc Oeſophagi ulcerationem internam obſervandi occaſionem arripere vellem, et hujus caeterorumque hujus organi adeo ſaepe fatalium morborum cauſas, effectus, exitus, medendi rationes proponere; ſed crambem coctam recoctamque apponerem, dum Viri ſupra meam laudem evecti (*v*), hoc

(*v*) Vid. inprimis A. de Haen Diſſ. de Deglutitione. Cl. VAN GEUNS Comment. de Impedita Depulſione in Act. Harlem tom. XI. pag. 9. ſeq. & Cl. NAHUIS ibid. p. 182. HALLERUS in Elem. Phyſiol. tom. VI. S. 4. p. 95. Nec non aeſtumatiſſimus Praeceptor N. G. OOSTERDYK in Act. Zel. tom. 7. pag. 185. ſeqq.

hoc argumentum adeo ſolide pertractaverint, ut vix quidquam ſuperaddi poſſit: id unice mihi videtur incumbere, ut oſtendam, vitium, ſubortum in Oeſophago, adfeciſſe Aörtam, hujus autem rupturam inſecutam eſſe ipſius eroſionem, ab exterioribus ad interiora tendentem.

Oeſophagus ab interiore conſumtus erat, deſtructae cernebantur omnes ipſius tunicae; materies ichoroſa ſeſe effuderat in celluloſam, hunc canalem cum vicinis partibus nectentem, pertigerat itaque ad Aörtam, Oeſophago proximam, eique ſemper accumbentem (*w*), conſumſerat hujus tunicam nerveam et muſcularem (*x*) usque ad internam (*y*); hoc autem ampliſſimum vas, nunc accepto a corde ſanguine diſtentum, nunc, ut promoveat et propellat eundem, ſeſe contrahens, impetum ſanguinis, debili hoc et jam ſola tunica interna occluſum loco, ſuſtinere non potuit, ſed disrupta ea tunica eſt (*z*) eo effectu, ut cavum Aörtae (*a*) cum cavo Oeſophagi (*b*) communicaverit, et uni-

(*w*) Tab. I. Tab. II. Fig. 1. e. e. g. g.

(*x*) Tab. I. l. l. l. o. o. Tab. II. Fig. 2. b. b. d. d.

(*y*) Tab. I. o. o. Tab. II. Fig. 2. c. c.

(*z*) Tab. II. Fig. 2. c. c.

(*a*) Tab. I. n.

(*b*) Tab. I. m. m. m. p.

unico quaſi momento omnis ſanguis per ampliſſimam hancce viam in Ventriculum effuſus ſit.

Revera autem tali modo ſubortam eſſe dictam rupturam, concludere licuit ex alio Cadavere, eoque virili, quod forte eodem tempore diſſecabatur. In hoc pulmo dexter per abceſſum inſignem ferme totus erat deſtructus, ſed laborabat etiam Oeſophagus (*c*); hic non multum ab eo loco, ubi per Diaphragma penetrat (*d*), non tantum arroſus erat (*e*), ſed penitus eroſus; ulcus ſic enatum ſeſe extenderat ad vicinam Aörtam (*f*), hanc jam pro parte adfecerat (*g*), non vero tantopere, quin ſuo munere adhuc fungi potuerit; ſed in enarrato caſu non eroſam fuiſſe tunicam internam, hanc vero impetu ſanguinis vere eſſe laceratam, diſruptam, docent lamellae hujus tunicae, quae adhuc ſupererant, et repoſitae ſic ſibi applicari poterant, ut non niſi fiſſura quaedam ſupereſſet (*h*).

Quantum licuit Obſervatores evolvendo, eos praecipue, qui

(*c*) Tab. II. Fig. 3. a. a.
(*d*) Tab. II. Fig. 3. a. b. b.
(*e*) Tab. II. Fig. 3. e. e. e.
(*f*) Tab II. Fig. 3. c. c
(*g*) Tab. II. Fig. 3. f. f. f.
(*h*) Tab. II. Fig. 2. c. c.

qui de ſedibus et cauſis morborum per Anatomen indagatis egerunt, inveſtigaturus, an forte ſimilis caſus annotatus eſſet, nullum perfecte cum noſtro convenientem detexi.

Multa quidem dantur exempla disrupti cordis (*i*), laceratarumque arteriarum (*k*), ſed nullum, quod hoc ſenſu cum noſtro conveniat, ut a cauſa, quae ortum duxit in Oeſophago, primo deſtructus ſit hic canalis, dein ſic vitiata Aörta, ut dilacerari tandem debuerit, deſcriptum legi. Maxime mirum hoc videri debet, quum adeo frequentes Oeſophagi eroſiones ſint, adeo ſaepe materies ichoroſa vicinas partes adficiat, deſtruat. Cl. SAUVAGESIUS quidem caſum obſervavit, communicantis arteriae Aörtae cum Oeſophago, et effuſionis omnis ſanguinis intra cavum Ventriculi, ſed ad cauſam hujus mali ſi attendamus, haec longe alia eſt: aneurysmatica enim Aörtae dilatatio Oeſophagum adfecit, et in-

(*i*) Rupturam cordis deſcripſerunt D. MUMMSSEN in diſſ. Inaug. ed. Lipſ. A. 1764 quae etiam recuſa eſt in LUDWIGII Adv. Med. Pract. tom. 1. pt. 1. p. 134. Ventriculum dextrum cordis disruptum in Georgio II. Angliae Rege A. NICHOLS in Phil. Transact. vol. 52. pt. 1. p. 265. Plura exempla adduxit Cl. SANDIFORT in Obſ. Anat. Pathol. tom. 1. Cap. 1. pag. 3. ſeqq. & P. G. TENGMALM in ſimili Diſſ. ed. Upſal. 1785.

(*k*) MORGAGNI de Sed. & Cauſſ. Morb. Ep. 17. art. 14. Ep. 26. art. 5. ſeqq.

inſecuta ſanguinis in cavum Ventriculi effuſio eſt, ſic ut merito Haematemeſin ex Aneurysmate SAUVAGESIUS dixerit. Judicent Lectores ipſi; obſervationem enim ipſam hic adduxiſſe non incongruum cenſui.

D. de Senés magnus Academiae Monspelienſis Geometra, poſt lapſum ex alto in dorſum, patiebatur dolorem dorſi medio reſpondentem cum pulſus intermiſſione; crevit hoc malum per biennium, denique aeger incidit repente in ſyncopen fere lethalem, ex qua rediens magnam grumoſi ſanguinis evomuit quantitatem, libras ſaltem quatuor; ſequentibus vero diebus botellos nigros alvo excrevit: SAUVAGESIUS praeſcripſit aquam Rabel ad gratum acorem in aqua fontana pro potu; poſituram horizontalem, quietem conſtantiſſimam, et juſcula, quorum ope per aliquot dies convaluit: aneurysmatis rupturam et commercium Aörtae dilatatae cum Oeſophago per arteriam oeſophageam ſuſpicabatur; ipſo invito e lecto ſurrexit, viribus paululum reſumptis; mortem inſtantem fruſtra praenuntiavit, et cum ex libri lectione rideret, ſubito fato functus eſt. Cadavere aperto invenit, quae praenuntiaverat, Ventriculum ſcilicet ſeptem vel octo libris ſanguinis diſtentum, Aörtam ad brachii magnitudinem per ſpatium ſeptem vel octo pollicum dilatatam, et orificium denarii magnitudine Aörtae et Oeſophago continuo commune, quod tamen quinque criſtae carneae veluti val-

vulae

vulae ex ambitu orificii oriundae et circumpoſitae potuerant obturare; per hoc orificium ſanguis ex Aörta fluxerat in Oeſophagum (l).

Quemadmodum nunc in hoc SAUVAGESII caſu, aneurysmate in Aörta enato, ſenſim conſumta gula, et effuſus ſanguis in Ventriculum eſt, adeo ut Haematemeſis lethalis fuerit producta, ſic ſimile hujus vaſis vitium vicinam Aſperam Arteriam tali adfecit modo, ut intra eam ſanguis penetraverit, et Haemoptoe lethalis ſit excitata. Celeb. HUNTERUS tale quid obſervavit in cadavere hominis robuſti, qui difficili reſpiratione, tuſſi, aliquamdiu laboraverat, et de tempore in tempus mucum, ſanguine tinctum, ejecit, qui dein, tuſſi ſuborta vehementiori, octo ſanguinis Uncias ex pulmonibus emiſit, et mox expiravit. Aörta maxime erat dilatata ab ortu ſuo ex corde usque ad originem arteriae innominatae; ab hoc loco a parte poſteriore in ſaccum aneurysmaticum extendebatur, qui ſiniſtrorſum tendebat. Adhaerebat hicce ſaccus Aſperae Arteriae firmiter, ibique loci plures cernebantur aperturae, quarum ope via aërifera cum ſacco communicabat, et per quas ſanguis ex Aörta in tracheam pervenerat, cujus rami omnes eo tantopere erant diſten-

(l) Cf. Noſolog. Method. tom. 2. p. 298.

diſtenti, ut pulmones in inſpirationis ſummo gradu viderentur verſari (*m*).

Suborta ergo hoc in caſu fuit communicatio inter Aörtam et aſperam Arreriam, ut in priori inter Aörtam et Oeſophagum, ſed et ſubinde ſimilem ſuboriri communicationem gulam inter et tracheam ſequens obſervatio probabit.

(*m*) Cf. Medical Obſervations and Inquiries vol. 6. pag. 23. ſeqq.

O B-

OBSERVATIO SECUNDA.

De eroſione Oeſophagi et vicinae aſperae Arteriae, cum effuſione eorum, quae depellebantur, in dictum canalem.

Quemadmodum per caveam poſteriorem Mediaſtini deſcendens Oeſophagus, Aörtae vicinus, intrinſecus vitio, quo eroditur, ſubinde laborat, ſic proximum illud vas facile tunc adfici poſſe, et ratio docet, cognitione ſitus partium ſuperſtructa, et abunde confirmat relata jam obſervatio. Verum ab anteriore ipſius via eſt, quae aërem ad pulmones transmittit, tali quidem modo, ut intra pharyngem promineat Larynx, et hoc aſperae Arteriae caput pharyngis parte interiore tegatur, inveſtiatur: mirum ergo videri non poteſt, quod, exulcerata gula, adficiatur etiam Larynx, corrodantur ipſius cartilagines, partes vero membranaceae vicinae ſenſim conſumantur penitus, ſic ut duae illae viae, quae in faucibus patent, ſed nullam communicationem habere debent, vere tamen communicent, et partes contentae ex una in aliam tranſire cogantur. Subcriri tunc debent mala diverſa, quae explicari, vivente aegro, ſaepe admodum difficile poſſunt, ſic ut rectum praeſagium

ſagium dare plane non poſſibile ſit, et confirmetur id, quod de morbis pectoris in genere ſummo jure olim jam aſſeruit BAGLIVUS (*a*). Lubet hoc ulterius confirmare obſervatione, ut videtur, ſatis notabili et digna, quae ab oblivione eripiatur.

Foemina, jam quinquageſimum primum annum agens, ab ipſa juventute difficili ciborum per Oeſophagum depulſu laboraverat, ſic ut ſubinde neceſſe fuerit bolum ad inferiora colli ſubſiſtentem, inſtrumento faucibus immiſſo, ulterius depellere. Subinde tamen, anguſta licet via ſemper eſſet, cibum facilius depellebat, ſemper tamen commodius potum.

Accedebat quandoque nimia Uvulae elongatio, quae moleſtiſſima continuo ſic irritabat fauces, ut deglutitionis nixum edere cogeretur, etiamſi, quod deglutiri poſſet, adeſſet nihil. Senſim ſenſimque malum in pejus ruit, et demum nihil ſolidi depellere potuit, ne minimam quidem micam panis, aut et pulticulam ſolito potu ſpiſſiorem.

Dum aegrota in tali rerum conditione verſabatur, in conſilium vocatus fuit Cl. SANDIFORT, qui fauces examinans nil inſoliti vidit, niſi Uvulam laxiorem et longiorem, linguam ſordidam, muco tenaci, ſaepe cruſta nigerrima obſeſſam. Glandulae colli praecipue in dextro latere tumidae

et

(*a*) Cf. Prax. Med. lib. 1. C. 9. p. 34.

et induratae erant, ſimilique vitio laborabat glandula Thyreoïdea. Ex iis, quae viderat ipſe, quae ex obſervatis aliorum et ſectis cadaveribus cognoverat Vir Cl., ſiniſtrum eventum praedixit, monuitque ſe vereri ne tota via ſimilibus glandulis eſſet obſeſſa, quales in collo ſeſe manifeſtabant: has a longo tempore morbo affectas reſolvi non poſſe, ſed vel majores durioresque redditum iri, aut degeneraturas in ſubſtantiam mollem quidem, ſed peſſimae indolis, quae conſumendo partes vicinas nova mala jam paſſis adderent, adeoque praeter palliativa remedia praeſcribi nulla poſſe; praecipue quoniam febris lenta jam aderat, quoque die exaſperans: eadem in opinione verſabatur Medicus, qui ſemper curam ipſius geſſerat.

Per totum menſem malum in pejus ruebat, muci tenaciſſimi copiam quotidie ore emiſit, ſolidi nihil deglutire valuit, quin ſtatim rediret, ſummamque produceret moleſtiam, anxietatem, et qualia blandiſſima etiam fuerint excogitata, quae pulticulae formam habentia videbantur poſſe tranſire, nulla omnino depellere potuit. Interea de anxietate conqueri coepit, eamque inſecuta eſt moleſta tuſſis, qua in principio vix quidquam expellebatur, dein vero ſputa ſanguinolenta, amurcoſa, foetidiſſima, et tunc ne minimam liquidi alicujus copiam aſſumere potuit, quin mox

moleſtiſſima excitaretur tuſſis: vires ſenſim fuerunt imminutae, anxietas magis magisque adaucta eſt, et tandem exſpiravit.

Cadaveris ſectio quanto citius inſtituta fuit; integumentis colli ſeparatis multo major, quam quae expectari potuit, pinguedinis copia ſeſe obtulit, glandula, quae a latere dextro colli ſeſe manifeſtaverat, et ultimis vitae ſeptimanis aegrae videbatur diſparere, ſaltem minus dura ſeſe offerebat, magnitudinem habebat nucis juglandis, et venae jugulari internae adeo firmiter accreverat, ut absque laeſione non potuerit ſeparari. Ad attactum mollior, diſſecta amurcoſam, pultaceam, granuloſam quaſi materiem continebat: quae ad inferiora colli dantur glandulae, induratae et multum tumefactae erant, ſubmaxillares autem et ſublinguales in utroque latere videbantur ſaniſſimae.

Aperto thorace in conſpectum venit Thymus inſignis longitudinis, rariſſime in adulta aetate tali modo viſus, inſolitam tamen non habebat duritiem. Muſculis magis ſeparatis, ſublatis, denudatis etiam et ligatis vaſis, quae a corde per collum ad caput parteſque vicinas tendunt, aut inde ad cor redeunt, et Aſpera Arteria, et Oeſophagus commode examinari potuerunt.

Thyreoïdea glandula in quoque latere, ubi ab iſthmo medio

medio ſuis cornubus adſcendit, durior et tuberculata erat: Oeſophagus juxta Aſperam Arteriam deſcendens ad attactum in parte ſuperiore durior videbatur; ibi autem loci, ubi dolorem ſemper perceperat aegra, ubi obſtaculum in depulſione alimentorum ſeſe obtulerat, et magis expanſus erat Oeſophagus, et lividum colorem offerebat. Hic locus ſeſe extenderat praecipue dextrorſum, et degenerato Oeſophago arteria innominata, praecipue autem ex ea enaſcens ſubclavia adhaerebant firmiter, et haecce vaſa, ut partes aliae abceſſui propinquae ſemper ſolent, a ſtatu ſano multum recedebant. Tunicae Oeſophagi erant tenuiſſimae et ſcalpello vel leviter attactae emittebant foetidiſſimam, ſubcruentam, materiem, illi ſimilem, quam poſtremo vitae tempore tuſſi rejicere ſolebat aegra. Oeſophago hoc in loco ulterius aperto patuit internam ipſius ſuperficiem arroſam, conſumptam, oppletam eſſe ſimili materie. Ulcus in pharyngem ſeſe extendebat ad altitudinem cartilaginum Arytenoïdearum, intra hoc infundibuliforme cavum prominentium, et ea pharyngis pars, quae poſteriora laryngis inveſtit, ſimili modo non tantum erat affecta, ſed inferior Cartilaginis Cricoïdeae margo totus nudus in oſſeam ſubſtantiam degeneraverat, ac infra eundem apertura conſpiciebatur, quae ſurſum intra laryngem adſcendebat; praeterea duo

 aderant

aderant foramina in parte poſteriore membranacea Aſperae Arteriae, quae ad ipſius interiora penetrabant, et eandem illam transmiſerant materiem, ſine dubio etiam potum, et aſſumta medicamina, quae omnia vaſa aërifera pulmonum adeo oppleverant, ut reſpirationis haecce organa, aperto thorace, ne minimum collaberentur, ſed eandem retinerent figuram, quam ſaniſſimo in ſtatu habent, quamdiu nullus aër inter pulmones pleuramque ſe inſinuavit. In vaſis aëreis viſa non tantum eadem materies, ſed deſciſſa Aſpera Arteria, compreſſis vel leviter pulmonibus, inſignis ipſius quantitas exiit, pectorisque capacitatem adimplevit.

Si enarratum huncce caſum paulo accuratius examinemus, plurima certe ſymptomata, de quibus haecce foemina in vita conqueſta fuerat, ex illis, quae cadaveris diſſectio demonſtravit, explicare poſſumus.

Difficilis enim illa ciborum per Oeſophagum depulſio, qua haec aegrota jam ab ipſa juventute laboraverat, producta fuiſſe videtur ex glandularum collo, ipſique Oeſophago adjacentium, intumeſcentia, ac prout ſenſim ſenſimque hae magnitudine augebantur, ſic et deglutitio quotidie difficilior reddebatur, reſpiratione interim minus laeſa, quia cartilaginea Aſperae Arteriae pars videtur impediviſſe, quo minus tam facile aëri via intercluderetur. Glandulis his jam morboſe

boſe affectis, et ulterius induratis, Oeſophago a parte interiore ſimul affecto, deglutitio et alimentorum depulſio quotidie difficilior reddebatur, dum, ut in partis hujus inflammatione ſimiliter obſervatur (*b*), ne vel blandiſſimis tranſitus concederetur. Tunicae interim Oeſophagi magis magisque erodebantur, donec tandem in variis locis, plane deſtructis, via ex Oeſophago in Aſperam Arteriam patebat, ſicque omnia, quae aſſumebantur, quae vix niſi liquida erant, una cum medicamentis in Aſperam Arteriam, ac inde in vaſa aërea propellebantur, dum via ad Ventriculum ferme obſtructa eſſet. Non mirum itaque, cur, poſtquam aliquid aſſumpſerat aegrota, de anxietate conquereretur, et moleſtiſſima tuſſis ſit oborta, qua pulmones conquaſſabantur, et in principio, morbo nondum adeo provecto, vix quidquam, poſtea vero ſputa ſanguinolenta, amurcoſa et foetidiſſima, expulſa fuerint, intermixtis ſcilicet invicem, tam quae ex ipſo ulcerato Oeſophago emanabant, quam quae aſſumpta erant, et in cavo aëreo aliquamdiu ſtagnaverant. Vires interim ſenſim ſenſimque decreſcebant, dum vix aliquid aſſumebatur, unde ſuſtentari valerent; ſicque ſputis retentis omnia

(*b*) Quemadmodum venerandus Pater in tali inflammatione vidit ſolutiones G. Tragacanthae, Arabici, aliorumque ſic irritaſſe, ut licet cum blandiſſimis Syrupis permiſtae non potuerint depelli.

omnia enumerata ſymptomata indies adaucta fuerunt, anxietas magis magisque intendebatur, donec aegrota tandem ſuffocata periit (*c*).

Huic obſervationi ſuperaddere neceſſe duxi alius, quem honoratiſſimus Pater, praematuro nimis fato mihi ereptus, hac in urbe in foemina obſervavit, caſus epitomen, quem accuratius et diſcriberem, et examinarem, niſi Doct. Poliater Goudanus, J. Bleuland, eundem a Patre ipſi communicatum jam publici juris feciſſet: ſilentio hic loci eum premere ea propter non potui, quia in eo nonnulla, cum enarrata a me obſervatione convenientia, inveniuntur, illuſtrationi ejusdem inſervitura.

Triginta octo annos nata mulier, corporis habitu modico, A°. 1777. de ſummis Ventriculi doloribus conquerebatur (erat autem hoc initium morbi) ingratum deraſionis veluti ſenſum excitantibus, et a deglutito cibo potuve valdequam increſcentibus. Mali hujus ſolatium quaerens, invenit adeo, ut per aliquod tempus ceſſaverit: qui vero inſequebatur, anno, alimenta, farinacea praeſertim, difficilius longe depellebantur, impedimento ſupra Cardiam ad palmae altitudinem

(*c*) Caſum cum enarrato multum convenientem deſcripſit Le Cat in Recueil d'Obſervations de Medecine par Richard de Hauteſieck tom. 1. pag. 400. ſeq.

nem haerente, et aſſumta alimenta una cum copioſo muco rejiciebat aegra: medicamina reſolventia eo deinceps ſe commendabant titulo, ut ciborum deglutitionem facilitarent.

Brevi autem aegrae ſtatus prorſus mutabatur; ſolida enim deglutire ipſi omnino erat ἀδύνατον, ſed ſummas poſt anxietates cum copioſo muco ejiciebantur, nihil ergo ſuper erat, quam vires et vitam lacticiniorum et carnis juſculorum ope ſuſtinere, malum enim ſanare in poteſtate artis non erat. Reſolventia quid adhuc valerent, tentabatur, ut ſuccus Cicutae inſpiſſatus, Sulphur Antimonii Auratum, et Calomela (tali doſi, ut ſalivationem haud excitaret), quibus plus ſemel Analeptica, Antiſpasmodica, vel lenia Cardiaca interponebantur; et hoc modo per aliquod tempus vires ſuſtentatae ſunt ad tertium Martii diem: morbi ſymptomata quaevis tum in pejus ruebant, in ipſo collo jam alimenta haerebant, nec niſi moleſte tranſibant, preſſionis quodam ſenſu conſtanti comite, nullo tamen tumore detegendo: ſimul ſe manifeſtabat febris cum pulſu parvo, contracto et notabili corporis debilitate. Sequentibus diebus ſymptomatum omnium erat remiſſio, vires conſtabant magis, ſed magna fames aegram vexabat; aſſumtum panis fruſtulum magnis adeo cum moliminibus deglutivit, ut plurimum inde fuerit

rit defatigata, et ſanguinem dein, admixto ſimul copioſo muco, evomuerit: a reſolventibus, huc uſque aſſidue, ſed nullo cum ſucceſſu adhibitis, et ab aegra repudiatis, erat abſtinendum. Quam primum vero lactis vel alius potulenti quid majori hauriebat copia, evomuit ſtatim, intermixtis tamen particulis colore ſuo griſeo ſe diſtinguentibus, odoris ſubacidi, in rejecto muco, cui ſubinde ſanguis erat admixtus, inprimis notabilis: abhinc materiam caſeo corrupto ſimilem cum dolore et foetore moleſto eructare non deſinebat, labentibus ſenſim admodum viribus et imminutis tandem adeo, ut loqui aut movere ſe vix amplius poſſet: vires adhuc quantumpote nutrientium clysmatum ope ſuſtentare tentabatur: jam vero, dum illa ſibi amplius applicari negabat aegra, quotidie conditio ipſius in pejus ruebat, et decimo octavo Calendas Maji 1779. diem tandem obiit ſupremum.

Anatomico examini ſubjectum cadaver, glandulam ſupra Claviculam dextram in collo, exhibuit cartilaginis in modum induratam: abhinc ad dorſi ſeptimam vertebram Oeſophagus flaccidus inveniebatur et ſolito latior, ibidemque duritie quadam notabilis: Pulmo dexter, qui a poſteriore parte cum pleura aliquantum concreverat, dum verſus partem ſiniſtram reclinabatur, plus minus lacerabatur, et per factam

ita

ita aperturam materiam griſeam, denſam, atque grumoſam lactis corrupti, quoad odorem et habitum omnino ſimilem, fundebat: in lobo medio ſaccum amplum ſimili materia repletum ulterius detexit ſcrutinium, nec non aperturam ex ipſo pulmone in Oeſophagum viam formantem, marginibus ejus ſcabris valde inaequabilibus et craſſis; ſuperior ejusdem pulmonis pars punctis notabatur albidis, concoloribus, eademque materia repletis. Oeſophagus autem infra dictum pulmonis lobum notabiliter adeo capacitate decreverat, ut calamum ſcriptorium admittere ferme recuſaret.

Caetera, quae tam in thorace quam abdomine notanda occurrerunt, in ipſa obſervatione ulterius legi merentur (*d*).

(*d*) Cf. J. Bleuland Diſſ. Inaug. de difficili aut impedita alimentorum depulſione Aº. 1780. hac in Academia defenſa: et tractatus de ſana et morboſa Oeſophagi ſtructura pag. 94. ſeq.; qui et ibidem multa tam de ſtructura, quam ſitu Oeſophagi caeterarumque partium adjacentium, quae hic forte deſiderantur, et ſecus addita fuiſſent, erudite pertractavit.

OBSERVATIO TERTIA.

De Pancreate Carcinomatoſo eo in loco, ubi ipſi Ventriculus accumbit, cum eroſione hujus viſceris, et ſanguinis demum omnis intra ipſius et inteſtinorum capacitatem effuſione.

Abunde ex prioribus obſervationibus mihi patere videtur, quanta incommoda enaſcantur, ſi tubus, per quem alimenta et potulenta in Ventriculum deferuntur, vitio quodam laboret, ſic ut ipſe tranſitus in Ventriculum impediatur, vel a vitio ipſius Oeſophagi tales functiones laedantur, quarum integritas omnino ad integritatem Oeconomiae Humanae requiritur.

Non minoris momenti mala ſuboriri poſſunt in tubi hujus continuatione, Ventriculo nempe, cibis deglutitis excipiendis, mutandis, ſubigendis et expellendis deſtinato. Praeterquam enim quod propriis ſibi morbis ſit obnoxius, varia ipſi accumbunt, vel vicina ſunt viſcera, quae ſua, quibus laborant, vitia cum ipſo communicare facile queunt. In cadaveribus Hepatitide, Paraphrenitide defunctorum, Ventriculus inflammatus, imo jam gangraenoſus obſervatus fuit : idem

idem de tumoribus ſcirrhoſis, abceſſibus, ſimilibusve verum eſt, quae in vicinis viſceribus orta facile cum Ventriculo communicantur (*a*).

Dum autem Ventriculus hoc aliove morbo, Cancro, Scirrho, Ulcere, praecipue ab interiore ſua parte laborat, facile patet maxima incommoda ſubnaſci debere in tali aegro: ipſa enim Ventriculi actio turbatur, alimenta in ipſum delata non ſatis ſubiguntur, neque chylus elaboratus et perfectus inde elici poteſt; continuo enim materia ichoroſa ex ulcere tali emanat, cum pituita denſa, in tali caſu fere ſemper obvia, in ipſum Ventriculum effunditur, et cum ingeſtis commiſcetur, quod plurimis certe morbis anſam praebere poteſt. Actio illa Ventriculi ciborumque concoctio magis adhuc turbari debet, ſi ſimul cum Ventriculo tale organum laeditur, in quo ſuccus ſecernitur, qui plurimum ad felicem ciborum digeſtionem confert. Malum ipſum interim ſenſim ſenſimque increſcit, Ventriculi ſubſtantia, et vaſa per ipſam decurrentia lente eroduntur, et tandem, uti a tali

ero-

(*a*) Ventriculum diverſo modo affectum deſcripſerunt multi, inprimis HALLERUS in Elem. Phyſ. tom. VI. §. 13. p. 283. SWIETENUS Comm. tom. III. p. 15. et Cl. SANDIFORT in Obſ. Anat. Path. tom. III. et IV. praecipue tom IV. p 45.

eroſione in priori caſu mortem ſubitaneam productam vidimus, ſimili ſed lentiori modo vires vitae conſumuntur, et demum franguntur penitus. Enarranda hoc Capite Obſervatio dicta abunde probabit.

Mulier, quinquageſimum nonum aetatis annum agens, trium infantum mater, per triginta fere annos continuo conqueſta fuit de anxietatis et doloris ſenſu in Epigaſtrio, qui, nunc levior nunc rurſus ferocior, ſeſe etiam ad regiones vicinas, Umbilicalem et Hypochondriacam dextram, extendebat, ſic ut fere ſemper manum huic loco applicatam gereret: nulla fere alimenta vel potulenta Ventriculus ferre poterat; ſubinde ſanguinem, et ſaepius, praecipue ab initio anni praeteriti, ſputa admodum tenacia, cum ſanguine mixta, per os ejecit. Aeſtate major erat horum ſputorum copia, et, dum haec reddebantur, doloris ſumma erat vehementia: aliquoties dolor illa ſubito aegram invadebat, ſic ut hac quarta horae parte fere libera eſſet, altera prae doloris vehementia ejularet. Salina, acria, fumo indurata quam maxime appetebat, ſimul ac vero Ventriculum intraſſent, dolor et cruciatus inde quam maxime augebantur: quaecumque etiam aſſumebat, ſemper anxietates inde adauctae fuerunt. Per morbi diuturnitatem, moroſa admodum fuit aegra,

gra, et facile in iram movebatur, tum vero ſimul inſigne erat doloris augmentum. De primo mali initio nil conſtitit, ſenſim vero ſenſimque ſubortum et adauctum fuit. Multa in mali curationem tentata ſunt, praecipue quatuor poſtremis vitae annis, et varia admodum Medicamenta, Stomachica, Antispasmodica, Reſolventia, Emulſiones, Emplaſtra, ſimiliaque in uſum vocata ſunt absque multo vel nullo levamine: nonnunquam Vena ipſi fuit ſecta; ſaepius per Cathartica alvus ſolvenda erat. Per biennium A. ſcilicet 1786 et 87. malum aliquantum tolerabilius fuit; ab initio vero Anni praeteriti de tempore in tempus dolores caeteraque ſymptomata adaucta fuerunt; inſignem tunc temporis ſanguinis copiam per os emiſit, vires jam inde lente decreverunt, donec tandem circa finem M. Januarii h. a., pedibus ſuſtentari non amplius valens, lecto per biduum fuerit adfixa: ſaepiſſime hoc temporis ſpatio animi deliquium patiebatur, vires in horas diminuebantur, et tandem mentis conſtans diem obiit ſupremum.

In cadavere tumor notabilis praeſertim in media parte abdominis aderat, quem, diſſectis integumentis, ab inteſtinis productum fuiſſe ſtatim apparebat: haec enim livida erant, et magna coagulati ſanguinis copia diſtenta, ſic ut, Duodeno diſſecto, ut Ventriculus eximeretur, inſignis copia ſan-

 guinis

guinis cum vi quaſi exiliret. Hepatis ſubſtantia admodum erat compacta. Ventriculus in loco multo depreſſiori ſitus erat, quam caeterum ſolet, et ad Umbilicum ſeſe extendebat: morboſum autem illud viſcus eſſe ſtatim patebat, inſignis enim durities in parte ipſius media ad manum tangentem ſeſe manifeſtabat. Caeterum in abdomine nil notandum ſeſe obtulit, niſi incipiens Hydrops Ovarii dextri. Pectus non fuit apertum, dum de illo non conqueſta fuerit aegrota, nec tantum temporis concederetur.

Exemto Ventriculo cum partibus adjectis poſtridie accuratius examinato, primo, ligaturis, Cardiae et Pyloro injectis, ſolutis, magna effluxit copia ſanguinis atri, in grumos adeo ſolidos coacti, ut per ipſam Ventriculi ſubſtantiam facillime detegerentur. Parti ipſius poſteriori accumbebat Pancreas, maxime induratum, et in ſubſtantiam fere cartilagineam mutatum; inferius liberum, ſuperius vero plane cum Ventriculo concretum erat, vaſa ſanguifera per ipſum decurrebant; diſſecto vero per transverſum Ventriculo, illa pars, cum qua Pancreas adeo concreverat, ſtatim in conſpectum venit, a naturali ſtatu maxime aberrans, figurae fere circularis, dum reliqua interna Ventriculi pars praecipue a ſuperiore in marginem denſum, craſſum, circa hunc locum

con-

contracta erat (*b*); ſuperficies valde erat inaequabilis, tuberculata, ac maxime eroſa (*c*). Ipſum ulcus per amplitudinem $2\frac{1}{3}$ poll. Rhen., per transverſum vero $2\frac{1}{4}$ p. R. adaequabat, et ab Oeſophago 2 poll. diſtabat. Cernebantur praeterea per totam ſuperficiem foramina plura, majora (*d*), minora (*e*), quae vera Vaſorum orificia erant: immiſſus enim per tubulum aër manifeſte in vaſa, in Arteriae nempe Coeliacae ramum, qui juxta Pancreas ad Lienem tendit, deſinentia, et per degeneratas partes decurrentia, tranſibat: et vice verſa, cum aër immittebatur per vaſa haecce, quae in figuris conſpici nequeunt, in praeparato ipſo, quod liquori ſpirituoſo immiſſum ſervo, adhuc integra ſunt, per omnia haecce orificia aër exibat; hoc praecipue manifeſtum erat in illo foramine, quod in ſuperiore et ſiniſtra ulceris parte conſpicuum (*f*), certe maximam prae reliquis habet capacitatem, ſic ut ſtilus transmiſſus cum altero ſuo extremo ex ipſo vaſis trunco promineat. Ab oppoſita parte cernebatur alterum majoris capacitatis foramen (*g*), quod primo aſpectu itidem orificium vaſis ſanguiferi eſſe videbatur, dum autem

(*b*) Tab. III. d. d. d. d. d.

(*c*) Tab. III. e. e. e. e.

(*d*) Tab. III. g. f.

(*e*) Tab. III h. h. h. h.

(*f*) Tab. III. g.

(*g*) Tab. III f.

autem per immiſſum aërem pars inteſtini Duodeni, quae adhuc adhaerebat, aſſurgeret, inſtituto ulteriori examine conſtitit, ipſum hoc vas eſſe ductum Pancreaticum, cujus alterum extremum in ipſum Ventriculum terminabatur, alterum ſolito loco inteſtinum Duodenum perforabat, quod ulterius per inmiſſum ſtilum confirmabatur. Caeterum interna Ventriculi pars non multum a naturali recedebat, niſi quod maxime rugoſa, et ubique inſigni muci tenacis et lenti copia eſſet obſita, qui per diuturnam in aqua macerationem vix detergeri poterat.

Plurimi dantur Auctores, qui morboſum Pancreas deſcripſerunt, ſive ſcirrhoſum, induratum, ſive ulcere conſumtum (*b*). Quanta autem mala inde provocari poſſint, facile concluditur, ſi tam ad ipſius ſitum, uſum, quam partes vicinas attendamus. Degenerato enim hoc organo ſecretio

(*b*) Cf. Parè Chir. Livr. VII. Chap. 21. p. 175., qui totum Pancreas et Meſenterium ſcirrhoſa immenſae molis invenit in cadavere Sexagenariae Mulieris. In Miſc. Cur. Dec. 2. Ao 6 pag. 271. legimus de Pancreate adeo indurato, ut tumor extrinſecus palpari potuerit. Cf. Morgagni, de Sed. et Cauſ. Morb. variis in locis. A. de Haen tract. de Deglutitione Caſ. 1. pag. 5. ſeq. J. Baader, in Obſ. Med. paſſim (praeſertim Obſ. XIX), quae recuſae ſunt in Cl. Sandifort Theſ. Diſſ. vol. III. Bonetus, Hildanus aliique.

cretio ſucci Pancreatici ſimul impeditur, qui in Duodenum confluens plurimum videtur conferre ad Chymi dilutionem, et ulteriorem bilis cum illo mixtionem (*i*). Si induretur vel ſcirrhoſum reddatur, mole ſua tam vaſa, quam Ventriculum, parteſque adjectas comprimere debet, et turbas in circulatione, anxietates, ac vomitum producere (*k*). Neque minores moleſtiae creantur, ſi in ſuppurationem vel abceſſum abeat (*l*), vel, quocumque modo jam morboſum, ulterius ita degeneret, ut partes, quibuscum cohaeret, erodat et in Ulcus cancroſum mutetur. Si enim ulcus in exteriori parte enaſcatur variae partes vicinae, ſive ſolidae, ſive molliores, vitiari poſſunt, quale notabile exemplum, in cadavere Chirurgi obſervatum, ſequenti modo deſcribitur „ Ad infimum

(*i*) Cf. de Pancreate, ejusque ſucci natura, et uſu R. DE GRAAF Op. Omn. pag. 381. ſeq. HALLERUS in El. Phyſ. tom. VI. Lib. XXII. pag. 427. ſeq.

(*k*) Vid. CLOSSY in Obſ. an Some of the Diſeaſes of the Human Body pag. 81 de Vomitu continuo ex indurato Pancreate, quod ad Lienem ſeſe extendebat, vivente aegro tumor in abdomine ad attactum dolens apparebat. Cf. itidem LIEUTAUD Synopſ. tom. 1. pag 44. BONETI Sepulchr. Anat. tom. 2. pag. 71, 82, 87, 113, 114. etc.

(*l*) Cf. SCHENCKIUS in lib. 3. Obſ. de Meſent. TULPIUS in Obſ. Med. lib. IV. Obſ. 32. BONETUS loc. cit. tom. 1. pag. 186, et 870. tom. 2. pag. 256. etc.

mum ventrem deveniendo carnem illam Diaphragma perforantem Pancreas eſſe vidimus, quod ad duas ſpithamas longum et duarum manuum transverſarum latum erat, putridum, corruptum, quod non ſolum corroſivo ſuo acido Diaphragma perforavit, ſed et ſpinam dorſi ita eroſit, ut ulcus cancro ſimile pugnum capere, et levi ictu tota ſpina dorſi frangi facile potuerit: ultimo denique ipſam etiam venam Cavam, qua juxta ſpinam decurrit, corroſit, à qua ſanguis per Diaphragma perforatum, pulmonum motum impediendo, mortem intulit. Cancer hic Pancreatis ulterius ſerpendo ambos quoque Renes corrupit, eosdem nigerrimos ac putridos effecit, etc. etc. (*m*)". Quandoque tale Ulcus, dum Ventriculus peritoneo accrevit, extrorſum aperitur, fiſtulamque relinquit, per quam ingeſta continuo effluunt (*n*). Neque minoris momenti incommoda ſubnaſci, ſi ulcus carcinomatoſum interiora Ventriculi occupet, ex ipſo noſtro caſu concludere licet, in quo certe plura concurrerunt, a quibus, uberrimi fontis adinſtar, tot tamque gravia ſymptomata, de quibus aegrota noſtra in vita conqueſta fuit, derivari poſſunt. Praeterquam enim, quod Pancreas mole ſua

(*m*) Vid. Miſc. Cur. Med. Phyſ. Ann. 1. Obſ. XCIX. pag. 230.

(*n*) Cf. Swietenus in Comm. tom. III. pag. 149, 150. et Journ. des Scavans A. 1737. M. Aug. pag. 350.

ſua Ventriculum conprimere, et anxietates producere, debuerit, ſucci Pancreatici ſecretio in organo adeo morboſo, rite peragi non potuit, et licet in uno latere, nondum adeo indurato, quaedam portio adhuc ſecreta fuerit, quod ex aperto adhuc ductu forſan concludere licet, haec non omnis in Duodenum, ſed pro parte in ipſum Ventriculum, in quem unum oſtium hiabat, deſtillavit. Hinc certe minus bonam ciborum concoctionem et digeſtionem productam fuiſſe colligimus, praecipue cum ichoroſa materies, ex ulcere manans, una cum pituita tenaci, quae in tali caſu plerumque adeſt, cum aſſumptis continuo fuit mixta, et in inteſtina propulſa; hinc etiam inteſtinorum tormina, de quibus aegrota ſaepius conquerebatur, non poterant non oriri. Neque, ſimul ac aliquid aſſumpſerat aegrota, ſtatim dolores auctos et vomitum moleſtum excitatum fuiſſe, eſt quod miremur: ab his enim ingeſtis ulcus allui, et continuo irritari debuit; probabile tamen eſt ſpasmodicam Ventriculi contractionem ſimul adfuiſſe, dum ſaepius tam ſubitae doloris remiſſiones, et acceſſiones aderant. Senſim ſenſimque interim increvit malum, donec ſimul ipſa vaſa eroſa, et ſputa cum ſanguine mixta reddita fuerint. Per ſanguinem hunc in Ventriculum, et inde in Inteſtina effuſum, cum ingeſtis commixtum, multum ſymptomata adaucta,

 vires

vires aegrotae imminutae fuerunt, donec tandem, vaſis tantopere eroſis, ut omnis ſanguis e truncis majoribus per diverſa orificia continuo effluxerit, vitam cum morte, quam ſaepius appetierat, commutavit.

Mirum interim maxime eſt aegrotam noſtram ultimis vitae diebus non majorem ſanguinis copiam ſive per os, ſive per alvum, exoneraſſe, dum Ventriculus ac Inteſtina ſanguine adeo turgida erant, quod in alio caſu maxime notabili accidiſſe memoratur. „Chirurgus et Lithotomus ſcilicet diutius appetitu imminuto, tuſſi, et difficili reſpiratione, laborans aliquoties vomituritionem efflagitavit, quod ſemper recuſatum fuit. Inſcio Medico Emeticum hauſit, exantlato autem uno alterove vomitu, aliquot libras ſanguinis per alvum reddidit, et paulo poſt e vivis ſeceſſit. Abdomine diſſecto, ſanguine turgida inteſtina reperta ſunt, Pancreas totum purulentum, et una cum inteſtino Duodeno lacerum inventum fuit, quo preſſo ſanguis e ramis ſplenicis et Arteriae Coeliacae ſiniſtro pancreati inſertis, affatim fundebatur. Jecur pallidum, proxime ad ſcirrhum accedens" (*o*).

Quod ad Ulceris talis originem tandem attinet; variae admo-

(*o*) Cf. Eph. Nat. Cur. Dec. III. Obſ. 143. p. 262., nec non de ſimili caſu J. G. Hasenöhrl in Obſ. Anat. v. poſt Hiſt. Med. Morbi Epidem. pag. 60.

admodum ſunt cauſae, quae tali degenerationi anſam dare poſſunt, quarum praecipuae in locis allatis memorantur: vim quoque externam inter illas referri debere confirmat obſervatio, quam retulit Swietenus de Duce, cui, equo vecto, Ephippii nodus validiſſime Ventriculi regioni allidebatur. Statim ſequebatur copioſus ſanguinis vomitus, poſtea vero enormes Ventriculi dolores paſſus fuit, et vomitum moleſtiſſimum, dyſenteriam &c., donec tandem obiit. In cadavere Hepatis magna pars, et totum Pancreas cancroſa offendebantur (*p*).

Quaenam vero prima in noſtro caſu Ulceris origo fuerit, minus conſtat. Singulare interim eſt, filiam hujus foeminae, natu minorem, ſaepe de ſimilibus ſymptomatibus conqueri; praecipue autem menſtruationis tempore inſtante, ut et de ſenſu gravitatis ac doloris in regione Epigaſtrii: nonnunquam etiam ingeſta evomit. Metus hinc ſummo ſubnaſcitur jure, ne ejusdem, quo mater laboravit, mali initium, in hacce filia, quae caeterum bene valet, adſit.

(*p*) Cf. Comm. tom. I. p. 544.

FIGURARUM EXPLICATIO.

TABULAE I.

Pulmones cum Corde vaſisque adnexis, et Oeſophagi vicinaeque Aörtae eroſio.

a. Cordis pars poſterior.

b. b. Pulmo dexter.

c. c. Pulmo ſiniſter.

d. d. Arteria Aörta.

e. Arteria ſubclavia dextra.

f. Carotis dextra.

g. Carotis ſiniſtra.

i. Aſpera Arteria.

k. k. Oeſophagus.

l. l. l. Eroſiones tunicarum Aörtae.

m. m. m. Similes eroſiones Oeſophagi.

n. Ruptura in ea Aörtae parte, quae Oeſophago accubuit.

o. o. Lamellae diſruptae tunicae internae Aörtae.

p. Interior Oeſophagi ſuperficies.

q. q. Sti-

q q. Stilus per Oeſophagum transmiſſus ulceroſum locum, ibi, ubi ruptura in Aörta adeſt, monſtrans.

r. Externa pulmonis ſiniſtri membrana, parum ſublata, ſub qua materies ichoroſa ex ulcere Oeſophagi ſeſe extenderat.

TABULAE II.

Fig. 1.

Pulmones cum Corde vicinisque partibus in ſitu ſuo naturali relictis: Oeſophagus et Aörta propter male conformatam ſpinam, valde incurvatae ſunt.

a. a. Pulmo ſiniſter.

b. b. Pulmo dexter.

c. Aſpera Arteria.

d. d. Ejus rami ad pulmonem dextrum tendentes.

e. e. Oeſophagus.

f. Cor.

g. g. Aörta, in qua intercoſtales arteriae originem trahunt.

h. Arteria ſubclavia ſiniſtra.

i. Carotis ſiniſtra.

k. Arteria innominata.

l. Carotis dextra.

m. Arteria ſubclavia dextra.

Fig. 2.

Pars Arteriae Aörtae eroſa.

a. a. Aörtae pars, quae Oeſophago accumbit.

b. b. Arroſa ipſius externa tunica, et amplitudo ulceris.

c. c. Lamellae disruptae tunicae internae, in locum ſic repoſitae, ut parva tantum fiſſura remaneat.

d. d. Margines eroſi circum circa rupturam dictae tunicae internae.

Fig. 3.

Oeſophagus cum adjecta Aörta ex alio Cadavere virili.

a. a. Oeſophagus ab anteriore, ſuo in ſitu reſpectu Aörtae delineatus.

b. b. Diaphragmatis, per cujus partem carneam Oeſophagus tranſit, leve veſtigium.

c. c. Aörta.

d. d. Lamellae diſſecti Oeſophagi, ut interiora pateant.

e. e. e. Ero-

e. e. e. Eroſa, ulcere adfecta interna ſuperficies Oeſophagi.

f. f. f. Extenſio hujus ulceris per tunicas Oeſophagi ad vicinam Aörtam.

TABULAE III.

Interiora Ventriculi, ex carcinomate Pancreatis, eroſi.

a. a. a. Ventriculi interna ſubſtantia eroſa.

b. Pars ipſius dextra verſus Duodenum tendens.

c. c. Pars ſuperior, cum qua ſubſtantia glanduloſa concrevit, maxime incraſſata.

d. d. d. d. d. Margo rotundus Ulcus Cancroſum tota ſua amplitudine tegens.

e. e. e. Ulceris Carcinomatoſi ſuperficies variis in locis tuberculata, et eroſa.

f. Ductus Pancreatici eroſi orificium intra capacitatem Ventriculi hians.

g. Vaſis majoris orificium, directe in arteriae Coeliacae ramum lienalem penetrans.

h. h. h. h. Minorum vaſorum eroſorum orificia.

THESES.

I.

Multum abeſt, ut cum quibusdam denatorum Anatomen ad morbos indagandos inutilem cenſeamus, ut potius inde multum lucis, quoad diagnoſin et prognoſin, peti poſſe nobis videatur.

II.

Mortui foetus pulmones in aquam conjecti, ſi fundum petant, non reſpiraſſe foetum, ſi aquae innatant, reſpiraſſe, concludere non licet.

III.

Foetus non ſolum humore alibili per placentae vaſcula reſorpto, ſed etiam liquore Amnii videtur nutriri.

IV.

Vera inter vaſa matris, et foetus communicatio non datur, vitamque foetus ſibi vivit propriam.

V.

Mors ſuſpenſorum non dependet a luxatione, aut fractura colli, indeque orta laeſione medullae ſpinalis; neque a compreſſione venarum jugularium, ſed a reſpiratione impedita per compreſſionem Aſperae Arteriae, ſimileinve viae Aëriferae obturationem.

VI.

Pleuritis et Peripneumonia utiliter a ſe invicem diſtinguuntur.

VII.

VII.

Non in omni Pleuritide indiſcriminatim venam ſecare convenit.

VIII.

Si V. S. *conveniat, illam in latere affecto inſtituere praeſtat.*

IX.

Ex cruſta, ſic dicta, inflammatoria in educto ſanguine, ſola, non tuto ſatis de repetenda V. S. *judicari poteſt.*

X.

Numerus et indoles Variolarum, per inſitionem excitatarum, non adeo a quantitate vel qualitate puris varioloſi adhibiti, videtur dependere.

XI.

Utilem, neque illicitam eſſe variolarum inſitionem ſtatuo.

XII.

Neque obſtat, quo minus, vigentibus Epidemiis varioloſis, variolae cupientibus inſerantur.

XIII.

Inſignis interim utilitatis videtur eſſe ſic dicta praeparatio ante ipſam inſitionem inſtitutam.

XIV.

Cyſtotomia, quae binis temporibus peragitur, aliquando laudari meretur.

X V.

Cultelli elaſtici ad ſecandam in operatione Cataractae Corneam, uſus non videtur ſatis tutus.

X V I.

In operatione Herniarum inſtrumentum, a Cl. LE BLANC *propoſitum, non adeo laudandum.*

X V I I.

In ſectione autem herniae cruralis conſilium Cl. ARNAUD, *ut evitentur vaſa ſpermatica, ſequendum.*

X V I I I.

Placenta neque ſemper extrahi, neque ſemper ſibi relinqui, debet.


X I X.

Naturae inſtituto ſeſe opponunt, variorum malorum ſcaturiginem ſibi aperiunt, prolique nocent matres, quae formae conſervandae gratia, ſimilive de cauſa, ubera ſuis infantibus negant.

X X.

Peſſime Civium ſaluti cedit ſepultura Cadaverum in Aedibus ſacris, vel ſub Jove in coemeteriis prope loca inhabitata poſitis.

TAB. I.



A. Delfos del.

P. de Mare Sculps.

TAB. II.

Fig. 1.




Fig. 2.



Fig. 3.



TAB. III.

